UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Venatio Sacra. Sive Puer Amissus

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia XXXI. B. Virgo cum suo Iosepho Puerum inuestigans, spondet illi viatori, siue pastori, qui eum indicarit, munus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70011

Visual Library

Et gemis; & neſcis, matrem cur vitat alumnus:
Vt quid enim? pueri luſus id, anne dolus?
Terror, an ira, piæue recens offenſa Parentis?
Abſit, abeſt crimen Virgine: Paruus amat.
Et pia Mater amat, quem neſcia quærit, amantem;
Vulnificaſque abſens accipit inde faces.
Arcus abeſt, an adeſt, dubito, in noua damna parentis;
Ignea tela redux euibrat hoſtis Amor:
Tela quibus blando ſolem Puer vreret igne;
Aut ſi nobilior ſole quis ardor erat,
At nil non patiare; feres vel mille pharetris
Spicula miſſa, Puer ſi modò præſto iacit.

ELEGIA XXXI.

B. Virgo cum ſuo Ioſepho Puerum inueſtigans, ſpondet illi viatori, ſiue paſtori, qui eum indicarit, munus.

1. *B. Virgo & Ioſeph Puerum indagant.*
2. *B. Virgo petit, num quis obuium habuerit Puerum:*
3. *A quo, eſto ſit paruulus, magna dona recipiat.*
4. *Adſerit his ærumnis ſuam probari fidem.*

Virgo, vir adde comes, partitur vtrimque laborẽ, 1
Hîc Solymam, Solymos illa reuiſit agros.
Æquus vtrimque dolor; ſi non in Virgine mœror
Acrior, in Gnato quam ſua vita fugit.
Immemor ergo ſui Virgo, teneriue pudoris,
Luſtrat in exeſis ardua ſaxa iugis.

Obuia ſiqua ferant oculis veſtigia parui
  Errabunda pedis, quà via cumque rapit.
Et ſic orſa queri eſt; raras vox parca querelas
  Fruſtrat. adhuc hiſcit hos tamen ęgra ſonos:
Fors illum tenet vmbra, nigro quę ſecubat antro;
  Forſitan aprico detinet herba ſolo:
Forſan & his, quos ſpecto procul, ſub montibus errat;
  Forſitan & valles, & iuga ſola terit.
Quis ſcit an hæc deſerta petiuerit, & quibus olim
  Suceuerat Elias, Sinica teſqua ſubit.
Fortè peregrino quod ſi quis in orbe viator,
  Seu vir, ſiue nurus par quoque tendat iter:
Vos ait ô ſi cura mei eſt, Puer obuius vſquam
  Si ſteterit; Puero dicite, mater vbi eſt?
Mater vbi eſt? faciliq́ue manu contingite dextram;
  Et facilem comiti iunget vtrique manum.
Obuius adſurget illi chorus omnis Amorum:
  Excurretque alis Dux iter ille ſuis.
At Puer hic paruus, quid tum? ſua copia paruo
  Non deerit, magnas quò minùs addat opes.
Paruus onyx, paruuſque adamas, paruuſque pyropus,
  Grande tamen rari muneris inſtar habet.
Quin & apis non magna fauos, paruuſque racemus
  Nectar alit: paruis gratia rebus ineſt.
Feſtiui Pueri quem non inuitat amorem „
  Gratia, quâ gratus quiſquis amatur, amat? »
Videris haud dubium tu, quiſquis es ille, viator;
  Vltrò ſequêre; ſimul te volet vltrò ſequi.
Pacatum regit ille ſuis ſub legibus orbem;
  Maxima cui paruo pectore cura ſedet.
Nunc agedum mihi, quæſo, pium modò quęre Puellũ;
  Quæſito ab Puero præmia magna manent.
Non procul inuenies, quid non ſperemus amantes?
  Quis ſcit, & hoc neſcit Dux ſit an ille tuus?
Dux certè meus iuit heri Puer omnibus aruis:
  Aſt hodiè nullo ſtat comes ille ſolo.
Siccine, qui Solymâ radias iubar altius arâ,
  Abſiſtas ſociâ, lux mea Gnate, manu?

Nec meus

Nec meus eſſe velis, tot adhuc fallentibus horis,
  Qui tam lentus abes, quo ſine vita perit;
Dum modò ſint horæ longi duo ſæcula luctûs,
  Quæ parit amiſſo nubila ſole dies?
Iam ſcio quid ſit Amor: duris in cotibus alas
  Atterit, vt fugiat, nec reuolare queat.
Cur adijt Solymas ſupplex ad Numinis aras,
  Numen vt hîc perdat, dum redit, orba Parens?
Hæccine ſancta fides, pietas ſi fallat amantes?
  Quod pia ſim, me cur impia damna grauant? 4
Impia ſi ſint damna; meis, quæ ſanctus alumnus
  Imperat, eſt damnis experienda fides.
Experiare licet, mi Paruule, Matris Amorem.
  Creſcit ab ærumnis, quem dolor vrget, Amor. „
Quid moror ergò? moras Amor igneus odit & horas: „
  Quicquid agit, puncto protinus vrget agi. „
En, properat; nec plura: iuuat labor aſper. IESVM „
  Qui ſequitur, neſcit triſte laboris onus. „